

Si quatuor nato comites permisit , & aureos
 Quæ circum innectat fascia multa sinus ;
 Quinque sibi at famulos , regnique insignia servans ,
 O quale augustis fert diadema comis !
 Et pulso natum jactas regnare parente ?
 I nunc , i dictis , Grecia , posce fidem .

HIERONYMUS PILO PANORMITANUS

Capacii Comes , Marinæi Marchio &c.

INTER ARCADES

OCRITÆUS TOLIDIUS.



TESTHILIS , ET CORYDON

E P I G R A M M A .

*In Laudem Emi Card. Francisci Landi
 Inter Arcades Accl. Antistii.*

EXtremæ decus Æmilæ pat Regibus Heros
 Cujus virtute est purpura visa minor ;
 Testhilis , & Corydon Sylvæ , & Pastoribus ambo
 Assueti huc coram te properare timent ;
 Nam licet Eridiani ad ripas Antistii olim
 Inter Pastores tu quoque dulce canens
 Cum Nymphis Dryadas traheres , Faunosque bicornes ,
 Sylvicolamque Palem , semicaprumque Deum ;
 Nec tibi rura greges invisæque tecta casarum ;
 Terruit hæc illos non bene nota Chlamys .
 Constiterunt hinc ante fores , sed pulcra puella
 Ferre ausa est tenerum limen adusque pedem ,

Com-